



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 68. Ingens Toletanorum seditio, plures eorum urbes horum exempla  
sequentes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

nuebant, nisi saltem prior juraret Cæsar, se conditionibus, quas Toletani petiissent, assensurum. Verum Imperator spreta eorum propositione iter suum prosequabatur.

## §. LXVIII.

*Ingens Toletanorum Seditio, plures urbes eorum exemplum secuta.*

Igitur Toletani ad arma convolant, Ronquillum inopina vi obruunt, ejusque copias profligant; prospera hæc Seditio nis auspicia præter Vallisoletum, & Salmanticam, alias etiam urbes, Burgim, Albucellam, Zamoram, Legionem ac Taurum ad parem defectionem pertrahant. Ipse quoque Cardinalis Toletanus, qui ibidem suam sedem, ac Vallisoleti suum Senatum collocaverat, per muriforamen aufugere compellebatur. Populis, qui conjuraverant, erat decretum Reipublicæ formam imitari, unde Ventæ Senatum constituebant, parum ab similem ab eo, qui non ita pridem in Belgii Provinciis stabiliebatur, quo facto, hæ urbes quemdam deputatum eo ablegabant, omnesque secundæ nobilitatis Viros aut illuc venire, vel nomine suo quosdam mittere rogabant, cunctosque, qui huic societati nomen dare recusabant, velut patriæ proditores habebant, imo quosdam eorum laqueo suffocarunt, ac plurimum

*Ant. Vera l.*

*cit. p. 35. &*

*seq.*

*Vino. Blas.*

*l. 2. c. 12.*

*Ofor. lib. 12.*

*fol 349.*

*Raynald. an.*

*1520. n. 69.*

*Sleidan. in*

*comm. l. 3.*

*p. 79.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1520.

plurium Procerum ædes vel exspoliarunt, vel penitus solo æquarunt; cum vero seditiosis nihil magis solemne sit, quam omnium malorum memoriam retinere, solius autem prudentiæ oblivisci, ita & illi rebelles Reginam ex Turri Sillana, ubi propter insaniam capta detinebatur, liberabant, eamque velut Reginam suam venerantes volebant, ut Regnum suo nomine administraret. Enimvero Reginæ lætitia, quam ex inopino subditorum obsequio conceperat, ad pauca temporis momenta emotæ mentis impetus suspenderat, imo ipsa pristinam animi sanitatem recuperasse dicebatur. Rebelles quoque exauctorato Marchione de Dania, eidem a consiliis dederunt Zamorenses Episcopum, Virum ætate sexagenarium, licentia vero vitæ, atque animi vehementia inter Castellanos facile principem.

Interea Cæsar itineri suo strenue infestebat; verum comperta Toletanorum rebellionæ, primo lenitate animos placaturus, seditiosis fidem dari iussit, imposterum e Flandris nullas ad Regni dignitates promotum iri, dummodo illis, quas hucusque adepti erant, deinceps frui permetterentur. Attamen hanc quoque propositionem rebelles rejiciunt, cunctosque externos Regno pellendos esse, omnino contendunt; cumque ad alen-

dos

dos milites pecuniis egerent, ipsa Regi-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 na duce ex Cathedrali Toletana Ecclesia <sup>A.C. 1520.</sup>  
 sacrarum Reliquiarum thecas diripiunt,  
 atque ex illis artificiose liquefactis num-  
 mos cudunt; interea ipsæ Gubernatorum  
 copiæ, quas Carolus in Hispania reli-  
 querat, in aciem prodire veritæ, intra  
*Metinam Fluvii Sicci* sese includere com-  
 pellebantur, quin tamen rebellium furo-  
 rem evaderent; quippe eas tam arcta  
 obsidione premebant, ut abs dubio urbs  
 expugnata fuisset, nisi *Augustobrigæ-Ec-*  
*clesiæ* Comitissa provido consilio pericu-  
 lum avertisset: hæc enim apud Petrum  
 Gironem, qui præcipuum hujus factio-  
 nis caput erat, tantum auctoritate polle-  
 bat, ut ejus ditiones indemnes servari,  
 atque rebellium exercitum Villalpandum  
 revocari, ab eo impetraret. Ast Comes  
 de Haro, qui his copiis præerat, muta-  
 to consilio recta versus Turrim Syl-  
 lanam movit, urbemque cepit, necquic-  
 quam præsidiariis illam strenue defenden-  
 tibus. Ergo Regina munere suo Regia  
 Majestate prorsus indigno defuncta in  
 præfatam urbem reversa est, eamque  
 Haro Comes comprehensam tutum in lo-  
 cum conduxit, ne forte rursus seditioso-  
 rum ausibus ancillaretur, seque umbra-  
 tilem prorsus Reginam exhiberet. Hoc  
 successu derepente mutata est rerum fa-  
 cies; rebelles enim in varias factiones  
 distra-

Sæcul. XVI  
A.C. 1520.

distrahebantur, ac potissima eorum parte in Regis obsequium redeunte, ceteri a Regni Administratoribus armorum vi dissipabantur.

## §. LXIX.

*Cæsar Caronii conscensa navi ex Hispania profectus.*

*Ant. Vera  
hist. Car. V.  
p. 35.*

Interea temporis Cæsar die decima quinta Maji Caronii portu solvit, comitantibus eum Albenfi Duce, Friderico Principe, ac Villæfrancæ Marchione ejus filio. Præter exteros, qui eum sequebantur, in Germaniam præmisit Baviariæ Ducem, ut S. R. I. Electores per eundem, quem peractam electionem gratulandi causa misissent, officiosam quoque gratiarum actionem a Cæsare reciperent, maxime cum alius meritorum eminentia clarior ad id muneris seligi haud potuisset. Ceterum Imperator iter per Angliam institui jussit, intelligens, quod Volseus Cardinalis Regis Galliarum blanditiis, ac muneribus captus inter Franciscum I. & Henricum VIII. procuraverit colloquium, in quodam loco Ardrecium & Guinas interjacens celebrandum, cui præter utramque Reginam quamplurimi utriusque sexus Principes eidem interfuturi essent. Quapropter Carolus hunc congressum præpedire, plurimum e re sua fore existimabat.

## §. LXX.